



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

ruptione plurimum : invidioso nihil.

67. Plus amittitur in turpi lucro, quàm honesto damno. Hoc affligimur semel, illius semper poenitet.

68. Non judices te plus ditari, si opes, quàm si honor, accrescat. Semper famæ, quàm nummi dignior est cura. Cum infamia ditescere, pessima jactura. Bonum nomen ingens patrimonium.

99. Nusquam in hoc mundo securè agitur. Malus semper metuit Leges, bonus semper fortunam. Nam hujus ira bonis etiam infesta est : illarum pæna solum insequitur malos. Securissima mora est quæ in eo, quod convenit, deliberando insumitur.

70. Ad evitanda vitæ discrimina plus conducunt consilia, quàm vires. Pejus est nescire vivere, quàm non posse. Plus laborandum est, sortem bonam ut serves, quàm ut invenias.

*DECAS VIII.*

71. Sta verbis tuis, & quod pollicitus es, non infringe. Fide enim semel amissa nihil superest, quod amitti possit. Assuetudine jurandi periclitaris de fide: vocas

enim in dubium, quod verum est. Qui non amat vera audire, nec consueverit vera loqui. Adulatio vitium est sui tenax, & expers emendari.

72. Credere omnibus, aut credere nulli utrumque vitiosum est. Primum plus habet urbanitatis, alterum plus securitatis.

73. Parum veritas inest illi, qui agit, quod in aliis condemnat. Neque minus fallit, qui aliud, quam quod loquitur, agit: quam qui aliud, quam quod loquitur sentit. Ille decipit alterum, iste fallitur à se ipso.

74. Neminem odio habueris, quia deliquit. Infanum est peccare a versando peccantem. Nunquid enim rationi adversatur perdere innocentiam, quia alius eam non conservavit? Non sunt delictis delicta castiganda.

75. Si ipse vitiosus es, cur non condonas tibi simili? si autem desisti esse, da moram, ut & in hoc alius assimiletur tibi.

76. Illum, qui citò iudicat, citò pœnitet iudicasse. Quemadmodum in cursu haud bene observas, quæ transeundo vides; ita qui censuram præcipitat, indicat se malè advertisse.

77. Cum omnibus pacem habeto, cum vitiis bellum. Præ cæteris autem procura tecum ipso concordiam, id est, ut cogitatis consentiant verba, verbis opera, operibus voluntas.

78. Cùm rerum eventus nequeant aptari votis nostris, aptanda sunt vota eventibus, eorúmque moderatione præoccupandus dolor, quo gravamur. Imprudentia est, quod longè abest, vel omnino abest, efflictim concupiscere, & quod ad manus est, negligere.

79. Servire temporis munus est honoratū, imò & Regium: servire, quia cogaris, mæcipii: servire, quia sponte vis, ingenui.

80. Time magis conscientiam, quàm famam. Optima fors felicissimi est innocentia, neque laus ulla major, quam meruisse laudari. Interest non quis videaris, sed quis sis. Quid juvat te commendari, in quo conscientia te damnat.

*DECAS IX.*

81. Magnæ pollicitationes jure solent esse suspectæ: qui illas offert, cùm ægre queat præstare, aut decipit alios, aut si se ipsum non fallit, stultè obstringit.